

AM/2001

1108

Rep. no. 703

ELOGIOS

LATINO Y CASTELLANO

DEL

EXCELENTISIMO E ILUSTRISIMO SEÑOR

DON FRANCISCO XAVIER DE LIZANA Y BEAUMONT,

ARZOBISPO Y VIREY DE MÉXICO.


PRONUNCIADOS,

En las solemnes Honras, que le consagró en los días
20 y 21 de Julio de 1812, el Cabildo de aquella
Metropolitana.

MEXICO:

EN LA IMPRENTA DE DOÑA MARIA FERNANDEZ DE JAUREGUI,
AÑO DE 1813.

R. 703



INSTITUTO DE ESTUDIOS RIOJANOS
BIBLIOTECA

THE UNIVERSITY OF

CHICAGO

QUAM IN JUSTIS REBUS MENTIS MENTIS MENTIS

ARCHITECTURE

FRANCIS AND WILLIAM D. B. BRADY

DE LITERA ET SCRIPTURA

PERSONAL

LIBRARY

PATRUS DE FONTE

Thomam Anthonis olim Vicarii, nono Mexicano

Ecclésiæ Canonice Doctoris

I. ; **E**rgo acerbissimus, *Excme. Domine*, multis abhinc mensibus maeror augendus adhuc est hodiernà illius viri memorià, qui vivus solatio, atratisque defunctus nos implevit aerumnis? ; O tempora misera atque infelicissima! Supremis ecclesiae et nostrae reipublicae oppressis capitibus; earum hostibus innumeris aequè ac saevientibus, qui, dum nos nobiscum dissentire et lacerari conspiciunt, non tam suis fortissimis copiis, et classibus, quàm nefario hoc dissidio nostro praedam sibi facilem hilares confidunt; et quasi haec levia essent et exigua malorum agmina, adhibendum simul erat fatale exitium, quo strenuo illarum vindice privaremur! ; Ehu! plurimùm certè crevit temporum injuria, ex quò diaecesim hanc, quam sanctè pascere et gubernare consueverat, orbam reliquit venerabilis ejusdem antistes: sapientissimus ille atque apostolicus vir, *FRANCISCUS XAVERIUS DE LIZANA ET BEAUMONT*, quem magno Caroli III. ordinis stemmate insignitum, alia inter plurima, ornarunt olim excelsa pro-Regis et Ducis mexicani munera, ; Utinam, *Excme. atque Illme. Pontifex*, non mihi sed disertissimo alteri tua committerentur praeclara et immortalia laudanda gesta! Sed, cum hanc provinciam aggredior, reverentià potiùs quàm muneris adimplendi fiducià, mementote quaeso, ò Auditores clarissimi, eximias Praesulis virtutes tam longè latèque paterè, ut obscurari non valeant, quas tacitus, aut invitus praetermissero, neque admiratione carere perpetua, quas non aequè laudavero. Ea est, quae super illis mihi certissima insedit opinio.

II. At ; quis potuit, aut debuit aliam habere, cum ageretur de Praesule, qui, ut assero, et evincere contendo, Apostolicus vir dicendus est, de ecclesia non modò, sed etiam de republicà mirificè meritis? ; Apostolicus certè, quod venerabile nomen illis impertitur Episcopis, ad quos non tam Apostolorum auctoritas, quàm eorum labores pii et virtutes videntur pervenisse. ; Quenam etenim studia, animique dotes á

successoribus suis expetiverunt Apostoli, quae in LIZANA desiderarentur? Quae opera illis facienda, vitandave praescriberent, quibus hic non fuerit aut sedulò versatus aut prorsus liber? Si, ut expresserat Paulus, vitiis debebant carere, virtutibusque ornari fideles viri in Episcopos assumendi, non aliud fuit defuncti Praesulis vitae compendium, qui eò tendit, dùm erat adolescens, ut dignus Presbiter, et dùm Presbiter erat, ità vixit, ut Episcopus dignus crearetur.

III. Pueritiam vix excesserat, cum civitatem de Arnedo, qua ortus fuerat, relinquens, et blanditias respuens, morum austeritatem atque grave scientiarum praetulit studium, quarum fructu et ipse, et Ecclesia deinceps potirentur. Non ad aulam Regiam, cujus aditum obtulere suorum parentum illustres consanguinei vel amici; non ad armorum castra perlustranda, quibus illi quoque versati fuerunt; sed ad celeberrima studiorum licea hic pronus se contulit, venerabilis avunculi, doctique Presbiteri vestigia insecutus. Ad Bilbilim ergo profectus est, ut humaniores caperet litteras et philosophiae vacaret in schola societatis Jesu; Ad Caesar-Augustam postea et Complutum deniquè, ut Juris civilis et canonici praecepta disceret, doctusque doceret, cum in utrâque Academiâ sublimes jurisprudentiae gradus, moderatoris munus, necnon publicos, meritisque sodalium plausus obtinisset; cujus quidem rei testes sunt penes nos, notissimi et integerrimi viri, quorum verbo saepe audivistis LIZANA nostrum tam litteris, quam morum innocentia adolescentem floruisse.

IV. Procùl igitur á vitiis, proximior erat altari, cui inserviando illis jam commendabatur virtutibus, quae tunc oborientes, tanto orbis splendore deinceps erant progressurae atque, ubi primùm sacerdotium induit, bona á maioribus habitâ penitè abdicavit; non ut consanguinei ditescerent, haec praedia familiaria retinentes; sed ut debitus Dei honor, pauperumque solatium áugerentur, cum loca sui oppidi pia, parochialis nempè Ecclesia et Nosocomium eos fundos possidèrent, quos ille libens et lubens trasferabat. Tam citò noverat haereditatem suam, Domino dicatam, alia centupla restituendam esse. Postquam verò, temporalia bona omninò spreverit ac dimisserit, spiritualibus procurandis totus incu-

buit, adeò ut difficillimum discernere videatur, quaenam pia sacerdotii munera LIZANA fuerint vel prius imposita, vel plenius et uberiùs ab eodem expleta. Ille enim ad sacra facienda et promovenda officia aderat devotissimus; divino verbo praedicando indefessus et constans; confessionibus audiendis assiduus; ad aegrotos et afflictos levandos proclivis; ad rudes denique instruendos, sustentandosque pauperes accommodatissimus; idcirco in Templo, in Nosocomiis, in carceribus LIZANA tempus impendebat omne, quod non in privatis ad Deum precibus, litterarumque studio domi transigisset.

V. Praeterea, comes quoque fuit justitiae administratio, quae illi injungebatur tam pro Censoris Ecclesiastici munere compluti et vicariatu de Alcaraz parumper obeundo, quam pro Zamorensi gubernanda Diaecesi, mortuo Episcopo, cujus vices functus antea fuerat, quasque pro *Alva de Aliste* oppidis Compostelanus Archiepiscopus contulerat. Haec tamen munia simul ac Paenitentiarium Canonicatum, quo in ea Ecclesia ornabatur, adeò rectè et praclarè obivit, ut Emminentissimus Cardinalis Franciscus de *Lorenzana*, Mexicanus olim Archi-Praesul, dein Primas Toletanus, hunc doctum, omnique virtutum genere pollentem virum, quem ipse Dei ministrum sacrarat, cùque suae jurisdictionis partes etiam commisserat, gravissimo illius Ecclesiae senatui adscribendum decreverit. Sed Emminentissimi praecepto et votis LIZANA gratus et obtemperans, atque è Zamorensi Canonicorum Collegio ad Toletanum translatus, locum dumtaxat, non pia muneris exercitia yissus fuit mutavisse; quae dum clariora suapte naturà, locorumque adjunctis evadebant, non poterant quin, praeter humillimam, demissamque ipsius voluntatem, ad altiorem dignitatis gradum protinus eveheretur; ille enim, qui latissimae diaecesi impar solus credebatur, munerisque comites aptissimos quosque viros seligebat, negotium suis omnibus numeris absolutum judicavit, ubi Sanctissimus Papa Pius, Rexque catholicus Carolus ejus precibus annuerunt, ut in sui ministerii adiutorium LIZANA noster Sacraretur Episcopus sub titulo de *Taumacia* in partibus infidelium.

VI. ; Quam digna et sacris consona canonibus hujus Episcopi novi consecratio! In eà, non propria sed alterius voluntate et commodo, primi ordinis sacerdotium confertur, non ignoti hominis scientia, neque obscura aut dubia virtus commendantur; sed ab eo electio proficiscitur, atque fit ordinatio, qui candidati mores optimè noverat, vitamque in omnibus probatam habuerat, ita ut, dùm manus eidem solemniter imponeret, ea conficeret ac speraret, quae à Tito Paulus, à Nazianzeno ejus Parens, ab Augustino Valerius, manus imponentes obtinuerunt. ; Quanta enim fuit Ecclesiae speranda utilitas ex illius viri consecratione, quem fideles scientià intuebantur peritissimum, fulgentem virtutibus, zeloque flagrantem? et profectò, quemadmodùm flumina eò plures agros utiliores reddunt, quò latiora fiunt; ita in excolenda Domini vineà fructus evenerunt uberiores, ex quò hujus pii operarii amplior fuit ac sublimior facultas. ; Quem enim Dei honorem, ; quam proximi curam non intenderet Pontifex, qui tantopere de his sategit ac benemeruit, dum simplex esset sacerdos?

VII. Videre libuit hunc venerabilem Episcopum, Pontificalia munia Toleti et Matriti saepius exercentem; dignos Dei ministros ab eo sacrari plurimos; fideles urbe et in pagis ipsius voce edoceri, atque manuum impositione roborari; quin nosocomia et carceres, ejus fugerent pias curas; quarum, cum vos, Mexicani clarissimi, testes ac participes fueritis, supervacuum erit ab absentibus notitiam aut testimonium expetere: quem enim hujus Metropoleos Antistitem sollicitum agnovistis, Toleti primò, Turolii postmodum Pontificis exercuit munera, maxima tamen Ecclesiae utilitate, oviumque salute. At ; quì poterat secùs evenire, cum is fuerit nostri Praesulis scopus et voluntas, ut christianus grex non modo ab adversario custodiretur incolumis, verùmetiam ad coelestis Patris ovile integer, sanusque perveniret? Hinc fuit, quod nec Toletanos, nec Turolenses, nec alios Hispaniarum incolas, quos saepius verbo docuit et exemplo, majoris minorisve praetii, quàm vos omnes habuerit: hinc fuit, quod socios scientià et virtute conspicuos unâ cum egregià Toletanà civitate reliquerit, ut Turolii sanctam sedem proprio re-

geret nomine: hinc fuit, quod hanc Aragoniae urbem praecalam (quam nedum biennio incoluerat) eò sibi chariorem, quò suis languentibus viribus salubrior erat, commendabilis totius cleri virtus, fidelium probitas, omniumque erga Praesulem reverentia et amor, hanc aio urbem, sibi gratissimam reliquerit, ut longas terrae marisque vias arriperet, Mexicanà cathedrà, amplissimà certè et praestantissimà, attamen difficillimà consessurus: hinc tandem fuit, quod proprio abnuerit, commodo, alieno deditus; et ab una ad aliam translatus Ecclesiam, nec sponsam humilem spreverit, nec concupiverit ditiozem. Meminerat sanè se Apostolis successe, qui non proprio terrarum delectu, sed ubi Ecclesiae, aliorumque utilitas postularet, ibi ministerium suum impleverunt; atque in hac, sicut in caeteris sui muneris partibus, illorum praeceptis et moribus, quantum fas ei esset, se conformem fieri oportere.

VIII. Neque alia quaerenda est causa, cur evangelii praedicationem omisserit numquam, licèt exiguae essent sui corporis vires, multisque ac gravibus implicaretur occupationibus. ; Quenam, aiebat ille, Deo potest esse gratior, fidelibus utilior, et Episcopo severiùs imposita, quam christi annuntiatio, cui reliquas omnes, tametsi pias ac necessarias, apostoli postposuerunt? ; aequumne erit, ut adimpleantur aliae, hanc primariam relinqui? Et quamvis aliorum ministerio ac ope satisfactum iri, objiciebatur á nobis, prout Lateranenses, et Tridentini Canones Episcopis aegro valentibus indulserant; quamvis operarios plures doctos adhibuisset, ut in urbe, diaecesique tota conciones àpud populum generales et frequentes haberentur, nihilominus ab hoc injuncto onere liberum se non putavit, imò verò credidit, aliis exhortantibus, tacere ipsum, minimè expedire. Egregiam enim noverat ac retinebat illius Patris sententiam, asserentis, sacerdotem innocentem, tantùm suo nocere silentio, quantum prodesset exemplo.

IX. Praecipuo igitur Episcoporum muneri, verbi scilicet divini praedicationi, operam dedit sollicitam; et illà usus est, quae collimaret ad christianos instruendos et in fide et in bonis operibus confirmandos. ; At quam proprio dicendi

genere? Memores vos atque hujus rei testes interpello. ; Quis enim vestrum Praesulis conciones non audiit? Et dum eas haberet, ; numquid sublimis coram sapientibus, et apud indoc-
tos simplex non apparuit orator? ; Coram tepidis fervens, coram fragilibus indulgens? ; In magnifico hoc templo, in hu-
mili sacello? ; A magistratibus et divitibus audiendus, ab sce-
leratis et pauperibus auscultandus?

X. Reverà Chrisostomi et Augustini, Borromei et Sa-
lesii (quos magistros et patronos habuerat praecipuos) ves-
tigia premens, prout vitia emergebant, medici prudentis ins-
tar, obviantia adhibuit medicamina. Itaque spectacula profa-
na, alearum ludos, lubrica commercia, communionis pascha-
lis praeteritionem, perjurium, vestium immodestiam, usuram,
insurrectionem, homicidium, aliaque crimina verbo et scrip-
tis iterum atque iterum profligavit. Attamen ad ea vitanda,
non inani verborum loquelà, sed sacrarum litterarum, Sancto-
rumque Patrum auctoritate et doctrinà illius pollebat sermo,
in quo artem minùs quàm fervidam dicentis charitatem, pec-
tusque Dei rebus oppletum non rarò licuit observare. Et ; qua
alia methodo ac vi dicendae erant sententiae, coram Deo,
seorsumque ab hominibus conceptae, quae aeternae illorum
saluti magis, quàm delectationi consulere videbantur? Dum
is quippe fuerit, ac esse debeat oratoris Evangelici prima-
rius scopus, mirum non est, quod suis in concionibus, etsi
pulcherrimam noverit bene dicendi artem, ut nonnullae tes-
tantur epistolae, profectum venustati maluerit saepius anteferri.

XI. Praeterea, ; quam brevi, apteque parabatur? cum
orationi et ministerio verbi instans futurus esset, plurium ho-
rarum spatium rebus divinis contemplandis aut legendis con-
secravit quotidie; quae quidem consuetudo, cum multis ab-
hinc annis, suscepta illi esset, interrupta haud quaquam fuit
negotiorum multitudine: obvia inde ac grata erat illi exhor-
tationis materia, quin novum posceret studium res tam seriò
perpensa, atque ferventi animo valdè accomodata. ; Quem
enim vestrum latere arbitrabor, Antistitem nostrum, non mo-
do ipsum solum (quod frequentius erat) sed etiam cum do-
mesticis, quorum curam habuit diligentem, plurimum tem-
poris orationi adscribere consuevisse? ; Quis ignorat negotiis

gravibus rectè expediendis, veluti ministrorum ordinationi et parochorum electioni, suas et aliorum preces ad Deum praemittere, publicasque indicere, dùm Ecclesiae vel Reipublicae quidquam utile gerendum esset, aut eisdem afflictio, cladesvè imminèrent? Attamen, quamvis illius orationem publicam viderint omnes, atque privatam assiduam fuisse, sciverint plurimi, nonnullos etiam instrui oportet, saepè saepius illorum visitationibus ac civili, sed non necessario, commercio pepercisse, ut pro eis, omnibusque sibi commissis ovibus occultus apud Deum precator esset. Superest adhuc huiusmodi rei argumentum, suaeque pietatis vestigium venerabile, sacellum illud, quod in abdito domus cubiculo selectissimis scripturae sententiis constructum atque ornatum fuit. Illuc quoties diù noctùque intraverat, ut, clauso ostio, Patrem coelestem oraret in abscondito? Hinc illa fervens, pastoralisque sollicitudo; hinc illa continua Dei praesentia, ob quam á familiari hominum colloquio distractus potius, quàm adstans ipse videbatur; hinc denique illa in muneribus sacris obeundis gravissima majestas. Quis enim praesens fuit, qui tepidus aut indifferens esset, dum noster Antistes sacra perageret? Dum peccata in carcere detentorum hominum, etiam capite damnatorum, Sacramento audiret, aegrotum hortaretur in Hospitali morientem, aliaque huiusmodi exerceret? in iis autem, caeterisque pastoralibus muniis non modò Religiosus fuit, verùm etiam praestantissimus Pontifex: Nam Mexicanæ, vicinisque Diaecesibus consulens, plurimis Dei Ministris, plurimisque fidelibus, posthabita sui ipsius exigua salute, sacras manus imposuit. Quoties enim lectum, quo aegrotabatur dereliquit, ut ordinandi consecrarentur? Quoties, ut confirmationem acciperent parvuli, á longinquò adventantes? Quoties, ut Agni hostiam Deo offerret, et praecipua Ecclesiae festa, Pontifice exhortante aut benedicente, fierint solemniora? At qua devotione? qua pietate? quo zelo?

XII. Itaque, quamvis nihil, quod Deo displiceret, coram eo dici, aut fieri pateretur, injuriasque illi ubicumque illatas protinus objurgaret, vehementiori tamen zelo arguebat eas, quae intra sanctam orationis et Patris coelestis domum com-

mitterentur. ; Quatenam etenim virorum feminarumve alta conditio illum usquam cohibere potuit á vestium immodestia, inanibusque colloquiis in Ecclesia corripiendis? Et dum hanc animi celsitatem consuetà illius humilitate comparaveritis; dum illius oculos et labia igne quodam aestuare reminiscamini. ; Quis vestrum esse poterit, qui non rectè conjiciat zelo Domus Dei illum intus comedi atque comburi?

XIII. Etsi omnium bono, non modò in spiritualibus rebus, sed etiam in temporalibus, Episcopos consulere, oporteat, sunt tamen nonnullae in Dioecesi personae, quae ab eisdem curam exposcunt diligentiore. At in eà impendenda, ; quis LIZANA nostrum superavit aut exaequabitur? Erantne homines Deo consecrati, castae ac religiosae virgines, caeterique, qui afflictione, aegritudine aut inopià afficerentur? Quidquid verò erga has omnes personas pium ac praeclarum fecerit Antistes, non á me ipso sed á memorià vestra respectatis, deprecor; nam si omnia, quae hujus generis praesitit officia, percurrenda nunc ac recitanda essent, ; quis, quantusque orator sufficeret? At vero notissima sunt quaedam, quae pretermittere non licet. ; Quis enim silentio dabo solertiam, quàm super sacris Ecclesiae Ministris constitutis aut constituendis invigilavit? ; Quam eorum ordinationi praeviam operam adhibuit? ; Quam Parrochorum institutioni? ; Quam candidatorum litteris ac moribus perscrutandis? in eorum praelatione, ; quàm aequus! in correctione ; quàm prudens! Non favor, non amicitia, nec importunae preces, sed virtus, scientia, aequitas viam apud Praesulem paravere his, qui ab eodem sacros ordines aut Parochiales Ecclesias obtinuerunt Et ; quanta illi gloria á doctissimo et venerabili Clero mexicano, quem gubernavit, auxit, dilexit? ; Quanta á spiritualibus exercitiis, ad quae omnes urbis Presbiteri et invitati et assistentes fuere? ; Quanta á parrochorum per singulos menses comitiis, quibus Ecclesiarum negotia, civium angustiae aut peccata publica et ad praesulem defferebantur, et ipsis exponentibus curabatur ab eodem his super omnibus provideri? Sanè, quicumque his laudabilibus, piisque caetibus interfuisset, proculdubio arbitratus fuisset, Mexici vigerè Presbiterium veteris disciplinae, á Pontifice coronatum,

XIV. Praeterea, ut morum emmendationem simul ac omnium virtutum praxim sacerdotibus commendaret, congregationem *oblatorum*, quam Turolii olim instituerat, hic etiam, Regis approbatione, constabilivit. Et ; quàm latam viam adaperuit, ut pietatis opera exercerentur? Regale ac Pontificium hujus urbis seminiarum, parochiales quoque Ecclesiae, suburbia, nosocomia et carceres perpetuò testabuntur, quot pios labores in divino verbo annuntiando, et afflictorum levamine impenderint Presbiteri, oblato Mexicani, Duce ac socio eorum Archi-Praesule. Neque Presbiteris tantum, sed etiam sacerdotum induturis congregatio profuit, cum praeter virtutum exempla, propria exhortandi methodus crebrò ostenderetur. Ejus enim causà, Academiae litterariae ad instar, singulis diebus dominicis habitae sunt ad populum conciones, aliae aliis praestantiores, omnesque piae, eà rerum sacrarum peritià, religionis zelo, dicendi facundià ac precipuè eo spiritali audientium fructu, ut non pigeret plures hujus societatis Ministros eloquentiae evangelicae Magistris adscribere. ; Quàm gratum Praesuli fuit, ut adolescentes, vix sacris ordinibus initiati, charitatis ac scientiae specimina coram eo exhiberent! cum utrasque sanè expetiisset ab eis, qui sanctuario addicendi essent, utrasque simul hoc pio instituto commendavit, quò etiam tetendit, dùm illius diligentia ac proprii obsequii renuntiatione, cathedram disciplinae Ecclesiasticae in Academia mexicana princeps instituit.

XV. Neque Religiosos, intra claustra degentes, viros oblivioni tradidit, cum eorum scientiam ac virtutes, quas honore maximo habuit, in gregis pascendi adjutorium adhibuisset. Consonum quoque fuit, ut virgines Deo dicatae et consecrandae, illius pia sollicitudine ac protectione fruerentur. ; Quam etenim operam assiduam, sibi gratam impendit, ut à supervacuis rebus illae vacarent, et virtutes, quibus ornabantur, retinerent, atque perficerent? Quantum argenti erogavit, ne monasterii aut collegii septa desererent puellae, pulchritudine pollentes et paupertate laborantes? Quantum, nec aliae vagarent, aut indigerent cupidorum libidini aut propriae earum obnoxiae miseriae? Certè, numero plurimae sunt plan-

B

gentes feminae, quae in matrimonio, aut collegiis olim constitutae, bis orphanae ac viduae, Praesule moriente, evenerunt.

XVI. At ; quot non supersunt earum numero adscribendi homines, cum affictos ac aegrotos, quorum omnium parens erat charissimus, et sermone saepè fovere et munere saepius levare consueverit? Quis enim fuit, angustia aut injuria affectus, quarum Praesul non fuerit particeps, ac praesidium? ; Quoties à vinculis soluti fuerunt cives, eorum inopia, vel miseria detenti? Quoties ad ejusdem piam iteratamque exhortationem, flagitiosi homines coram Deo prius sua detestati sunt crimina, quam justitia vindice punirentur? Quoties illa pietatis officia erga eos praestitit, qui maximae damnati paenae, sacrosanctae religionis ope potissimum indigebant, quasi vitam pararet aeternam his, quos à supplicio fas ei non fuisset, eruere? Sed ; quid mirum, si omnibus omnia ita factus fuerat, ut omnium in angustia et dolore socinus esset, nullusque, ut ita dicam, esset infirmus, quin ille quoque infirmaretur? ; Quenam temporalis et aeternae salutis media sive in privatis, sive in publicis aegrotantium domibus semel iterumque non praebuit, cum nec insanabilium squalor, nec ulcera faetida, nec contagionis timor, Antistitem humanissimum arcerent à nosocomiis hujus urbis frequentandis? Nosocomiis, inquam omnibus, praecipuè tamen generali sancti Andrae, et horrido ac faedissimo sancti Lazari, cum hujusce et aliorum oneribus ferendis plura scutorum millia lubens erogasset. Revera, quamvis omnia pietatis opera ille exequeretur, assiduae tamen infirmorum visitationi, cui à primis suae ordinationis temporibus deditus fuerat, prae caeteris studuit vacare; et quae erga pauperes afficiebatur, dilectione et cura maxima, majorem eisdem aegrotantibus impartendam autumavit.

XVII. Et ; quis super hoc ambigere valebit, cum pauperes et orphanos non modò amicos ac filios charissimos habuerit Praesul noster, dum viveret, verum etiam haeredes moriens ipse reliquerit? ; Quis ignorat in illorum rebus bene gerendis gratum temporis spatium quotidie impendisse? ; Quenam maximae erga eos dilectionis signa clariora, quam ab eodem illis coram nobis tributa? Utcumque Pontifex creatus

fuit, dignitatis novae splendorem á pauperibus quaesivit: duos enim singulis diebus ad prandendum invitavit, qui non modo unâ cum illo sederent, verùm etiam ea obsonia illi soli vescerentur, quae sapore aut condimento essent jucundiora: singularis ac pius usus, qui Toleti et Turolii constans fuit, atque Mexici perduravit. Quemadmodum filios omnes Patres familias diligunt, eosque obsequiis blandiuntur, quos ob aetatis, corporisve imbecillitatem cordis et haereditatis suae parte potiori praefaerunt, ita pauperes, et orphani apud Praesulem nostrum habebantur; quippe qui illius benignitate, sollicitudine et bonis potius, quàm reliquae gregis oves, fruituri essent. Ardua sanè atque difficilis res videretur, eam pecuniae summam, quam inopibus Praesul distribuit, definire, aut numerare: At verò maximam fuisse, eorumque excedere computationem, qui elemosinas, ad singulos dies, menses, et annos assignatas norunt, abs dubio coniciendum est.

XVIII. Verùm enlm verò munia praefata obibat Pontifex, nobiscum quietè ac placidè commorans, supererant alia procul, molestèque explicanda, in Diaecesis nempè visitatione. Qui hujusce Mexicanæ oppida multa atque dissita noverit, incolarum ruditatem ac linguas varias; qui meminerit quoque Praesulis nostri vires adeò exiguas fuisse, ut vel tenuissimâ aërimutatione subito frangerentur, is conjicere valebit, quot labores, pericula, ac morbos subierit in tot Parochialibus Ecclesiis perlustrandis, cum paucae in lata diaecesi sint, quae tanto honore careant, nullaeque caruissent, si ab incepto itinere semel atque iterum illi aegrotanti redeundum non fuisset: Quò asperior esset locorum situs, eò vehementiori flagrabat adeundi desiderio. Non igitur recusavit iter molestum arripere, tugurii hospitio plerumque immorari, quamvis humilem ejus lectum circumducerent viperae, alia reptilia et volatilia innumera, á quorum morsibus, veneno plenis, vix quispiam immunis esse valeat: At verò Apostolorum vestigiis inhaerens non quaerebat, quae sibi, sed quae aliis essent salutaria.

XIX. Ad multos ergo menses, oppidaque plurima profectus Antistes, sive munera sacra exercens, sive virtutes fo-

vens, sive extirpans abusus, eandem sollicitudinem, quam urbi principi, inferioribus et pagis tribuere videbatur; quasi non illius dumtaxat, sed horum pariter Episcopum ipse sese monstraret; in quibusdam tamen rebus utilitas istis longe fuit uberior; etenim conjuges á thalamo divertentes, publicè peccantes, inimicitias, litesque habentes, et injurià aut aere alieno oppressos, difficile minùs fuit in mutuam pacem omnes revocare, atque, munera largiente Praesule, á debitis, inopià et carcere eosdem liberare; praeterea, cum incolarum mores atque auxilia, quae in spiritualibus praestanda erant, ille perscrutaretur, et super his tunc temporis providere, et quaestiones ac negotia, quae postea evenerunt, licuit apte sapienterque definire. Sed ¿quid plura? illud tamen memoriae vestrae commendandum est, quod á civitate de *Queretaro* redux Antistes promovit atque complevit. Noverat iste, non absque magnà animi corporisque jacturà, familiam indorum ac tribum intra hujus Diaecesis fines commorari, qui aut nulla Religionis Sacramentà reciperent, aut baptismate solo accepta reliqua omnia negligenter vel ignorarent. Cum autem viros selegisset scientià et zelo praeditos, Regisque auctoritatem hujusmodi rei adjutricem habuisset, á silvestri, sceleratà et sacrilegà vità in societatem civilem, christianisque dignam, miserorum hominum turba conversa est. Nam erecto, et propriis Praesulis sumptibus constituto oppido (cui ab eodem nomina sancti Xaverii et Arnedo indita sunt) Ecclesià quoque extractà, peraguntur sacra, illi edocentur, agri excoluntur, atque sub sacerdotum vigilià, custodiàque militum hujus modi opus valdè pium et utile in dies completur atque perficitur.

XX. Haec sunt, Auditores ornatissimi, nonnulla, quae ex Diaecesis visitatione in Ecclesiae ac Reipublicae proventum gesta fuerunt á Pontifice nostro, qui quidem in ea perillustranda, nescio an ex aliorum beneficio, vel ex proprio incommodo majorem obtineat laudem: Nam praeter salutis tenuitatem, ac vitae discrimina, quibus eum subjacere oportuit, molestus et gravis fuit nemini; si quidem brebi stipatus comitatu, hospitium et cibaria recusavit, quae alterius, non ipsius pecunia pararentur. Et ¿quot, quantaque gessit utilia,

dum ea explicaret munera, quae ad ipsam urbem aequè ac universam spectarent diocesim?

XXI. Cum ille divinarum humanarumque legum tum custos, tum Minister esset, sermone et exemplo eas commendavit, atque summopere studuit, ut ab ipso et ab aliis, omninò servarentur. Eò spectarunt Pastoralia monita et epistolae, quas crebrò tipis dedit; eò prudentia, quà ad parochos ipsi consulentes illicò rescripsit; eò quoque prolatae ab eodem super quaerimoniis ac litibus sententiae; quae tamen omnia, quantum justitiae convenerint, ex eo dignosci poterit, quod juris utriusque peritissimus ac professor ille fuerit: Hinc fuit, quod veram sacerdotii et imperii potestatem nec confuderit, nec ignoraverit; hinc fuit, quod ad mores christianorum juxta Evangelicam legem efformandos, vitiaque cohibenda auctoritatem vel consensum expectaret nullius, tametsi principis uteretur auxilio ad eos tollendos abusus, qui Ecclesiastica sola potestate non deberent, aut vix possent avelli; hinc denique fuit, quod summis Regni proceribus, Praefectis ac Magistratibus (quamvis ardua ac difficillima negotia obvenerint) non modò abesset justa super his dissentiendi ac querendi occasio, sed etiam perpetua et mirifica eosdem inter et Praesulem maneret concordia. Omnia igitur videte, exemplis potiùs, quam sermone patefacta; in quibus tamen enarrandis, quidquid forensem sapiat loquelam, mihi de rebus agenti, quae in foro versabantur, praecor, indulgeatis.

XXII. Cum Turolensis Ecclesiae Episcopus designatus fuisset LIZANA, quo tempore vacua erat Romae sancta sedes, atque juxta principis decretum, à Metropolitano confirmari oportebat Episcopos, qui interea eligerentur, non semel indictum illi fuit, ut Archiepiscopum Caesar-Augustanum adiret, electionis suae confirmandae causà. Verùm hujusmodi innovationi adeò obstitit ille, ut sedem oblatam prius abnuere, quàm insolitis gressibus ad eam pervenire maluerit; quam quidem sententiam minimè mutavit Aulicorum blanditiis allectus, eorumve potentià deterritus; imò potiùs, cum apud eos hac de re disseruisset; à catholico Principe obtinuit, ne ipse, aliique ad sedes Episcopales electi vel

translati confirmationem eogerentur accipere, quòusque Romanus Pontifex eligendus, eam posset juxta receptos canones impertiri.

XXIII. Quicumque nudam negotii hujus notitiam habuisset, crederet fortassè et Antistitem parvi pendere regia decreta, et pontificiis *decretalibus* ita inhaerere, ut quidquid in his cautum appareret, pro summo jure coluisset, quasi haec (alioqui justae, sanctissimaeque) deberent esse praecipuae et immutabiles Ecclesiae leges. At vero, non eum latebant canones, saeculis prioribus conditi, et totius orbis reverentià consecrati; nec posteriori aevo admissos ita perlegebat, ut ab eorum litterà discedere, nefas esse ubique arbitraretur: Nam cùm eorum spiritus, Ecclesiae salus, urgensque christianorum necessitas aliud suaderent vel postularent, huic sciebat supremæ legi illos nequaquam prevalere. Attamen diligentissimus, prudentissimusque fuit in præscurando, an ovium saluti aliter non posset provideri, quàm legum consopitarum restitutione: Et haec potissimum ratio fuit, cur illam non probasset, dum breve tempus elapsum erat à venerabilis Pii VI. obitu, quae profectò causa toties accidit, atque futura est, quoties Pontifices summi morte afficiantur; eamque idcirco non sufficere arbitrabatur ad Ecclesiasticam disciplinam innovandam, prasertim cum intenderetur ac proxima esset succesoris canonica electio.

XXIV. Neque maximâ illius erga Romanum Pontificem, admissosque canones reverentià, quidquam detractum est ei quam Principi nostro exhibere debuit; neque illa imminuta fuit, eorum executione suspensà, qui aut fidelium saluti minimè convenire, aut *Episcopalia* jura (invito fortasse Ecclesiae capite) laedere viderentur. Duo enim, hujus generis negotia fuerunt, quibus ostenditur, veterem disciplinam à Praesule nostro fuisse dilectam pariter, ac in usum laudabilem restitutam. Primum est, carum facultatum exercitium, quas Romana sedes Episcopis in America constitutis certum ad tempus consueverat indulgere, quo quidem elapso, postulari iterum atque obtineri, opus esset. Cum neminem igitur lateret sanctiissimum Papam Pium, nomine VII., hostis nostri artibus, ac versutis, Hispanorum commercio interdictum

esse; horum alterum evenire oportebat, ut Ecclesiarum praesides, vel salutem ovium neglecturi essent, vel in ea procuranda officii exercerent plenitudinem, quae olim ipsis nunc verò Pontificibus summis propria censetur.

XXV. Audita ergo virorum, quos pios, doctosque credidit, sententià, atque consultis suffraganeis Episcopis, quorum scientia ac virtutes omnibus innotescunt, arbitratus fuit, decrevitque eas muneris facultates assumere, quae ad Ecclesiae salutem, animarumque curam, quae latè patet, gerendam, utiles esse, ac necessariae viderentur. Quocirca id maximè notandum et commendabile venit, quod à Principe, scilicèt, rogatus quondam, à praecipuis in aula regia hominibus allectus et penè coactus, ipsius quoque intercedente honore et commodo, nullatenus pateretur ipsum, illosque à receptis canonibus discedere; quia praedicta innovationis causa, Pontificis mimirum recens obitus, non aequè ac dira, longaque captivitas Ecclesiae et animabus perniciem afferebat; secus tamen, cum supremus Religionis Minister, è Petri cathedra avulsus, in hostis praedam ac ditionem traditus, neque à nobis audiri, neque nos ipse audire valeat. In hujusmodi namque temporum adjunctis, non modo Principis auctoritatem coluit Antistes, ut vetus prae novà disciplinà vigèret, sed etiam illam sanctione et executione praevenit: Quidquid enim hac de re potestas suprema faciendum postea censuerat, id ipsum, multis retro mensibus factum Mexici fuerat, ovium saluti Archiepiscopo consulente.

XXVI. Alterum, ut dixi, negotium superest, in quo vis potius, quam legum littera, jure meritòque servanda fuit. Etenim cum exhibita illi fuissent Romanae sedis *rescripta* quaedam, ut nonnullis religiosum ordinem professis ad saeculum liceret redire (quae quidem indulgentia, praeter falsitatis vitium, quod verendum erat, regularium disciplinam Antistitis iudicio, evertibat) muneris sui esse duxit, praecellosos Ciprianum, Augustinum, aliosque integerrimos viros imitari, atque tum praefatis litteris executionem non praestare, tum huic malo in posterum cavere. Ad Romanum ergo Pontificem rem hujusmodi detulit, eandemque prius exhibuit Augusto Principi nostro, cui tam justa, tamque grata

fuit Archiepiscopi sollicitudo, ut Legato suo Romae commoranti, proprio Regis nomine, eam exhiberi ac commendari jusserit; sed, si Principi placuit, non minus á Romana sede probatus fuit, modus, quem in negotio Antistes mexicanus tenuerat; tùm quia ex libro, in quo *rescripta* notantur, nulla eorum de quibus agebatur, ratio appareret; tùm quia declararet congregatio, quae á regularibus nomen habet, hujusmodi rescripta intelligenda esse pro arbitrio et conscientia Praesulis, ad quem mitterentur. Itaque illius litteris, aequo ac benigno animo acceptis, Romanus Pontifex respondendum duxit, et apocripha nonnulla rescripta fuisse, et ipsa quoque, si genuina essent, aliaque hujus generis emissa vel emitenda, executioni tradenda non fore, cùm pro illius arbitrio et conscientia ita expedire ipse iudicaverit. Monumentum praeclarum, quod, si canonum codice aliquando inseratur, Pontificis summi et Archiepiscopi scientiam, justitiam simul ac laudem summopere commendabit.

XXVII. Praeterea, quandiu haec Romae gerebantur, ea ipsa Mexici effecerunt, ut purioris disciplinae custos sollicitus appareret Antistes; dùm enim effectiva vacua essent rescripta, gravisque censeretur iudicis sententia, ut ista corrigeretur, alia inter media, excogitata fuit ad sedem Apostolicam appellatio; sed, ne ipsam quidem admitti posse, pandebatur atque ipse sustinuit ex celeberrimis Ecclesiae mexicanae legibus, quarum ea est maximè laudanda, quae Ecclesiastica iudicia intra hujus regionis fines agi ac definiri praecipitur; quare disciplinae tuendae zelo et munere, eos Episcopos iterum imitatus est Mexicanus, qui ad transmarina iudicia appellationibus interpositis, deveniendum non esse fatebantur.

XXVIII. Quanta ergo laus habenda est illi ex religiosa ac discretà legum custodia? Quanta ex reverentià et amore, quo sanctissimum Ecclesiae caput prosequutus fuit? Quanta ex zelo, quo Episcoporum jura illaesa custodivit? Quanta demùm ex sollicitudine, quam mexicanae disciplinae conservationi adhibuit; harum, ajo, Ecclesiasticarum legum, quibus nulla unquam Diaecesis puriores, praestantioresque gloriabitur habuisse? Revera, cum opus illae sint, ab Episcopis, sapientissimisque Doctoribus conditum, qui decimo sex-

to Ecclesiae saeculo floruerunt, illis celeberrimis Hispaniensibus viris, qui (dixerit quidquam pravitas vel invidia) pietate, scientiâ, ac virtute aequari à paucis, superari valebunt à nullis; plaudendi quidem sunt nostrates, qui, cùm LIZANA, non illud evertere, neque illorum memoriam impiè vel audactè lacescere contendunt, imò potius movent ad pia illorum vestigia premenda, atque ab injuriâ hisce potissimum temporibus vindicanda.

XXIX. At verò, quamquam veteres Ecclesiae canones eosque novos amaret Antistes, quibus disciplina purior, severioresque fidelium mores sancirentur, leges tamen contemnere ausus non est, quae, etsi illorum pulchritudini impares videantur, vigent nihilominus, ac religione dignae sunt. Quocirca haud certus quisquam esse potest, an praecleariùs se gesserit ille, dùm antiqua Ecclesiae instituta renovaret, vel dum nova retineret, Nam eà ubiquè usus est prudentiâ, ut neque romanae sinodi Episcopi ab eorum sententiâ illum discedere arbitrarentur, neque propriam ipsorum rejicere, carthaginenses autumarent.

XXX. Verùm, cum eò processerit oratio, ut de viro, disciplinae veteris cupido, verba fecerim, per vos mihi liceat, Auditores clarissimi, ad eos me convertere, quorum clamor consopitos antiquos canones expergiscit, recentesque detrectat, eò quòd his laxior vitae consuetudo Clericis ac Laicis indulgeatur. Vos ergo, qui florentem Ecclesiae aetatem concupiscitis; qui abussus invalescentes et inductos avertitis et detestamini, optimè de Ecclesia atque republicà mereatis, dum desideria vestra eà virtute ac probitate nitantur, quae ad tantum opus adgrediendum et consumandum requiruntur. Sed cavete priùs, ne aedes, quibus tegimur, diruantur, et turris quae desideratur, construi non valeat: Perpendite quoque à vestra fide et numero nonnullos qui eadem proclamant, esse tamen discernendos. ; Putatisne veterem Ecclesiae disciplinam ab illis amari, qui, dum eam, quae fuit, exoptant, spernunt vigentem? ; Quot enim sunt, qui Ecclesiasticas Nicaenas et alias antiquas leges laudibus, justis quidem, in coelum extollunt; qui discipulos magistri pauperis inopes esse vellent, templa absque ornatu, ritus

sine pompa, Ecclesiam absque privilegiis, quae Reges, sua pietate, aut clericorum virtutibus meritò concesserunt, illi, inquam, qui omnia vellent ad primaevum Ecclesiae tempus reverti, et vix vitam ducunt christiano dignam, licèt haec metienda sit ex regulis, quas posterior aetas suavior et indulgentior christianis imbecillibus praescripsit? Quis ergo vetus illa disciplina grata simul et apta futura est hominibus tam tepidae, tam mollis aut tam corruptae vitae, ut sua pietatis opera ea nedùm sint, quae charitatem mutuan, orationem, jejunium, festorum dierum sanctitatem et pro peccatis satisfactionem rectè adimpleant, non juxta veterum canonum, quos exoptant, severitatem, sed juxta recentiorum, quibus obsistunt, iudulgentiam? Quis certè sibi persuadebit hujusmodi viros sincero, ac religioso boni desiderio affici, cum ad illud obtinendum, media, quae penes ipsos sunt negligent, ac praetermittant, quae verò aliis incumbunt, expetant vehementissime? Sanè, si pro peccatis publica poenitendi ac severa methodus, morumque innocentia, quae antiquis Ecclesiae legibus consentaneae sunt, in usu, ut fas et aequum erat, haberentur ab iis, qui Ecclesiasticam reformationem flagitant, auscultanda esset illorum vox atque plaudenda: At verò si novitatis cupidine, non religionis zelo moventur, verendùm maximè, quin hisce amaritudinis diebus, qui nos undequàque circumstant, in Ecclesiae perniciem defluat, quod ad ejus utilitatem inconsultò promovetur. Sed quorsum haec?

XXXI. Quorsum? ut illorum aestus temperari possit, qui calamitatum remedia quaerentes, novas Ecclesiae leges praeparant, quasi defectus, qui subrepunt, earum quae vigent, non hominum essent: Ut illi congaudeant viri, qui puriora Ecclesiae statuta piè diligentes, horum restitutionem tempore opportuno praestolentur; ut haec simul omnia evincantur Praesulis, quem lugemus et plaudimus, vità comparata: si enim hic, munus, quale olim non habuerunt sanctissimi Episcopi, opibus ac privilegiis praeditum obtinuit, illis ita usus est, ut Ecclesiae et Reipublicae magis, quàm ipsius commodo cesserint. Praeterea, animus mihi nullus fuit eos convicio percellendi, qui abusus eliminare, et clericorum virtutes alere contendunt; neque horum opes et jura conces-

sa super reipublicae pernicie, et civium egestate et oneribus extruendi: Absit. Sed, cum ecclesiasticas res et personas impiè quidam, audactè nonnulli, plurimique gratuito odio et injurià prosequantur, operae praetium erit ad illas vindicandas Archi-Episcopi LIZANA mores ac virtutes ipsis objicere atque exhibère; cum haec enim omnia á posteris conferantur, aut super corruptis aevi moribus ancipites erunt, aut illis veniam dabunt, tanti Praesulis vestigia venerantes.

XXXII. Nam is est temporibus nostris honos tribuendus, quem antiquis haud negamus; ut plurimorum scilicet vitia oblivioni, aut silentio tradantur ob eximias quorundam hominum virtutes. Et quis ab hoc praeclaro numero LIZANA nostrum excludet, qui Apostolicus fuisse demonstratur? Aut quis quid pluris desiderabit quispiam, ut hoc pio nomine, tam á nobis, quam á posteris ille decorandus sit? oportuitne eum á criminibus vacare? Nullum fuit, ob quod reprehensibilis esset: Non superbire, neque irasci? Quis fuit qui eum humilitate et mansuetudine praecelleret? A crapula et ebrietate abstinere? Ea erat ipsius frugalitas, ut cibi, potusque parcitate strangulari potius quàm ali videretur. Injurias nullas inferre? illatas ipsi remissit libenter. Aliena bona non concupire? Omnia sua aliis donavit. Is quippe fuit, qui hospitalitatem habuit, bonum amavit, sobriè vixit, justitià, simul, sanctitate et continentia praeditus. Is quoque fuit, qui sanam amplexus doctrinam, improbos arguit, fideles confirmavit, atque omnes admonuit obedientiam, Principibus praestandam: Is praeterea, fabulans devitans et questiones stultas, Christi sermonem allocutus fuit, ut bonis incumbentes operibus, quorum exempla in seipso praebuit, spem haereditatis promissae omnes haberemus: Is denique fuit, qui vigilavit, laboravit in omnibus, opus fecit Evangelistae, atque ministerium implevit.

XXXIII. Quis ergo deest, Doctor Gentium egregiè, ut Mexicanus Antistes aut Cretensibus non cedat, aut nos, Dei misericordia, Episcopum talem habuisse non existimemus, qualem aliis Ecclesiis ipse quondam designaveras, qualesque omnes Episcopos fore praecipiebas? Sanè, cum omnia, quae hucusque enarravi, perscrutemur, LIZANA noster,

*

is videtur Antistes, qui Petri zelum imitaretur, Pauli sollicitudinem, aliorum Apostolorum frugalitatem, mansuetudinem aliorum, omniumque fidem. Illum quoque intuemur, cùm Basilium, sacra in templo munera obeuntem; cùm Chrisostomum, vitia objurgantem; cùm Augustinum, canonum vindicem; cùm Leonem, pacis publicae assertorem, atque miseros et peregrinos, cùm Gregorium, diligentem; et quin altiora quaeramus, quasi alter esset Salesius, qui ad virtutum perfectionem fideles hortaretur, aut demùm Borromoeus alter, qui Ecclesiasticam disciplinam in multis collapsam, restitueret in omnibus.

XXXIV. Si autem cum summis viris coaequatio, vel sola eorum, quamvis parva, imitatio, decoris et laudis plurimum affert, quàm praeclarum erit, tot, tantisque illorum floruisse dotibus, quarum singulae honorem maximum attulissent? Laus igitur sit Hispano Clero, gregique Mexicano ab eo viro, qui cum longè ab apostolicis temporibus vitam duxerit, suis tamen virtutibus ac laboribus piis proximam atque dignam illis videbitur habuisse.

XXXV. At res quaedam superest, quae orationem meam, cùm vitam illius interrumpere atque aliò ducere haud immeritò postulat: officia scilicet, quae in Rempublicam contulit, ut civis potius quàm ut Ecclesiae minister. Atque praeter maximum pro-Regis munus, quod tantà cum laude obivit, ; Quot, quantaque explevit Principi grata, subjectis quoque salutaria? ; Quid molestias ac labores repetam quibus ab Hispania in Americam profecturus, extemplò se tradidit, commodum ac voluntatem ipsius et Regi et vobis libans? ; Quid refferam perenne illius studium, ut pace, obedientià, justitià, et fortunà senatus populusque invicem potirentur? Et dum haec beata bona abire quondam videbantur, ; Quo exitii angore affectus fuit, quaque salutis publicae sollicitudine? Mementote quaeso, Mexicani clarissimi, earum infortunatarum dierum, quibus Regis nostri captivitas, Patriae clades, Tirannique artes perfidae ac nefariae ad aures vestras pervenerunt; ; quis eo tempore fuit, qui Praesulem nostrum anteiret in fide Principi debita roboranda, in hostium versutia detegenda? ; Quis fuit, qui in hoc sacrosancto,

ac Regum munificentia praestantissimo templo, prior proclamaverit dulce FERDINANDI nomen, et imperium? ; O diem praeclaram á Mexicanorum memoria et fastis numquam delendam! Diem illam, quae labebatur quarto Calendas Augusti, anni millesimi, octigentissimi, octavi, in qua cum apud nos pervulgata fuissent Provinciarum Hispaniensium consilia et praelia, quae ad Regem, regnumque vindicandum macti animo inierant, eisdem Nos, quasi fulguris unius scintillae essent, flaminibus aestuabamus. Et dum cives maximum erga Principem amorem ostendebant, ; quis nescius est, apud Archiepiscopum ivisse hominum turbas, ut praefata laeti nunciarent, et invicem gratularentur? ; Quis ignorat eum ad tam faustae rei nuntium non modò lectum, quo languens jacebat, reliquisse, sed etiam, cum corporis aegritudinem animi virtus superaret, hucusque pervenisse, ut Deo laudes, Regique prima obedientiae et subjectionis praestaret signa? ; Quis fuit, cum liceret huc interfuisse et nullà simul moveri animi voluptate, dulcissimisve lacrimis?

